

PRÆFATIO G. E. STAHLII.

CUM JOHANNIS JOACHIMI BECCHERI PHY-
SICAM SUBTERRANEAM iterum in publicum edere
secum contituisset Vir, de re non tam Libraria quam Li-
teraria optime mereri studens, solertissimus Dn. JOH.
LUDOVIC. GLEDITSCH, nescio quo intuitu
meam in hoc negotio operam postulare, in animum induxerit; nisi
quod fortasse inaudiisse potuit, quod ego librum hunc, a tempore non
ita exiguo, publice laudare atque commendare non destiterim. Qua
quidem re, si non effectum est, ut liber hic, a plusculis annis, ad mini-
mum ab aliquot centenis eruditis, qui meam de hoc Libro, & ejus do-
cta Doctrina, sententiam, dictis aut scriptis perceperunt, majore studio
emeretur, & cum jam ab aliquot annis exemplaria defecissent, quære-
retur: Certe aliquanto plus ad hunc effectum contulit atque profuit
hæc mea commendatio, quam obfuit. Nolui itaque laudabili huic pro-
posito Honestissimi Viri deesse, idque *duplici* de causa: *Primo*, quod libri
hujus non solum ulteriorem distributionem atque propagationem,
omni modo promoverem, semper justissimum duxerim; ob veritates,
& optime scientificam methodum, pro Experimentalis Chymia: Sed
& *Secundo*, quod tantum mihi fidere auderem, ut in hac materia, quam
hicce liber tractat, tantundem dicere posse considerem, quam quilibet
alius, quem noverim. Cum fieri possit, ut hæc *duæ* a me prolatae ratio-
nes, aliter, quam prouti res est, intelligendo, ad minus æquum de mea
indole judicium, ansam præbere possent, necesse duco paucis melius
illas explanare. Quod Viros de re literaria, imprimis autem meæ tri-
bûs, *Physica, Chymica, Medica*, sive voluntate ingenua & liberali studio;
(licet non undiquaque pari successu) sive ipsis etiam effectibus solidæ
scientiæ & experienciæ, bene meritos, semper maximi fecerim, faciam
& facturus sim, testes habeo, publice & privatim, ex scriptis qualibus-
cunque, dictatis, dictis, discursibus meis, omnes Viros ad intelligen-
dum & judicandum habiles atque idoneos. Ubi tantum abest, ut dissi-
mulare studeam, per quos profecerim, ut potius omnes alios respe-